FRANCISCUS CAIETANUS
INCONTRIUS
ARCHIEPISCOPUS FLORENTINUS
ET SACRI ROMANI IMPERII PRINCEPS
AD CLERICOS OMNES
IN
FLORENTINO SEMINARIO
IURIS PONTIFICII
AUDITORES.



FLORENTIAE; MDCCXXXXVI.
Per Franciscum Moücke Archiepiscopalem Typographum.

Unusquisque Episcopus sibi subditos bene doceat & instruat: ita ut in Domo Dei superdigni inveniantur, qui canonice possint fieri electi.

Ex Francofurten. Concil. Can. 29.





DE SACRORUM CANONUM STUDIO

SIVE

DE IURIS CIVILIS ET ECCLESIASTICAE ANTIQUITATIS AMICA CONIUNCTIONE

AD SACRAM IURISPRUDENTIAM

RITE COMPARANDAM,

PARAENESIS.



UOD omnium litteratorum hominum votis maxime expetebatur, bonae spei, atque indolis Juvenes, & Florentinae Ecclesiae Alumni, ut aliquando studiorum vitia retegerentur, & artium emendandarum ratio panderetur, incredibili tandem gaudio & gratulatione sumus postremis hisce temporibus consequuti, quibus praeclarae facultates in Italiam universam prisca elegantia ac nitore restitutae, ac veluti ab interitu vindicatae recens in Scholis exoriuntur, nativam explicant venustatem, ac in dies magis magisque efflore-

 scunt.

feunt. Fuit quidem, fuit tempus illud, quo nobiles disciplinae perversa, non sine fraude publica, dicendi ratione tenebris obductae, ac barbarie fere consepultae pristinam amiserant dignitatem, ac parum aberat, quin Itali a Transalpinis, ad quos primi litteras adtulerant, in exemplum insignis ignorantiae producerentur. Verum expergefacta nostrorum ingenia, ac sincerioribus germanae sapientiae testimoniis & eruditionis fide saepius redarguta ab iis Nationibus, quae quantum ingenio prudentiaque vincuntur, tantum labore ac studio sese nobis anteponunt, earumdem exemplo ad omnem liberalem doctrinam sedulo excolendam, & ad clariorem lucem extollendam incitantur; nec dubitamus antiquum Italiae splendorem posse restituere, eamque exaequare litteraturae laudem, quam sibi gentes omni humanitate politissimae compararunt. Facessant jam & quamlongissime ablegantur a Scholis, in quibus rectius Musarum sacra coluntur, subtiles illae potius quam solidae quaestiones, ne dicam acuta somnia & erudita deliria, quae ex Arabum placitis, neglecto veri falsique discrimine, olim in medium proferebantur. Theologi siquidem hujus aetatis praestantissimi totam gravissimam scientiam Scripturae praeceptionibus, Sanctorum Patrum dictis, & Conciliorum decretis, iisque probe constitutis, naturali insuper ac philosophica ratione, quae certos limites modosque minime excederet, concluserunt. Philosophi vero ingenuo quodam honestoque veritatis amore incensi, seposito partium studio, revocata mente a sensibus, & cogitatione a consuetudine, nihil admet dicere, quot in rerum natura contemplanda explicandaque, profectus habuerint, & ope Geometriae, qua si aliquis destituatur, ansis & adminiculis, ut ajebat Plato, Philosophiae caret, quis unquam recensere potest, qui naturae interpretes extiterint, multis sapienter detectis, ac experientia comprobatis? Quid autem de Jurisprudentia dicam? quae claris profecta initiis, & a sublimioribus ingeniis educata, praesidiis tamen destituta cognatis sibi Ethicae Philosophiae, &

eru-

eruditionis, diuque fordide contrectata adhuc squallore premeretur, aptoque ministerio privata rigeret, tanquam hyeme cohorruisset, nisi Jurisconsultorum eruditissimi conspirassent; quorum manu velut ex humo sublata oculos ad primordia sua reflectens, se in primaeva eruditione & elegantia collocavit; & sicut ager, intermissa cultura, feracior segetem protulit recenti industria laetiorem. Atque ut rem brevi conficiam, nemo unus mehercule reperitur hoc tempore, quo nova quaedam redditur vita doctrinis, qui politiores omnes scientias acriori studio non profiteatur; nisi humanitatem prorsus exuerit, aut malit erroribus perpetuo torqueri suis, quam ob superbam quamdam stultitiam a cognito damnatoque errore discedere. Quem quidem ardorem, elegantioremque studiorum cultum, quum in vobis ipsis contemplor, ingeniosissimi Juvenes, laetandum jure esse video, mihique magnopere placeo, non irritas evasisse curas, sollicitudines, & spes sapientissimorum Antistitum Decessorum meorum, qui Seminarium hoc, unde surculos illos sumendos esse intellexerunt, qui in omnem Florentinae Ecclesiae agrum pro temporum ac locorum necessitate transferrentur, ingenti sumtu fundarunt, commodisque omnibus amplificarunt; nihilque abire passi sunt, quod ad pulcherrimae atque utilissimae institutionis incrementum conduceret, & reviviscentes in Clericorum hujusce Dioeceseos Scholis litteras ad absolutam praestantiam perfectionemque proveheret, atque in altissimo laudis & dignitatis gradu collocaret. Ut igitur eorum voluntati & publicae exspectationi in hac praesertim saeculi luce, in hac celebritate doctissimorum hominum tanta pro virili parte satisfaciam; ne muneri meo desim vos adhortandi ad ingenuas artes Ecclesiastico viro in primis dignas magno animo capessendas, necessariam sane sacrorum Canonum, quos nulli Sacerdotum ignorare licet, scientiam, quae unice ad pleniorem omnium vestrum eruditionem desiderabatur, vobis suadeo ad quam recte comparandam, tum Romanae Jurisprudentiae, cum Ecclesiasticae eruditionis anti-

quitatisque notitiam praeverrendam adseveranter adfirmo. Hac de re lubet aliquanto copiosius dicere, nam hujusmodi argumentum proponitur, quo persequendo Oratio mea praeclarissimae disciplinae percipiendae rationem vos edocebit, ex qua unicuique vestrum consentaneam morum vitaeque normam, sacra Majorum instituta, ritus, optimumque Ecclesiae administrandae genus haurire possitis; & ob arctissimam, quae inter Jus sacrum, Civilesque leges, & Ecclesiasticam historiam antiquitatemque intercedit, conjunctionem, satis amplum doctrinae fructum, ac eximium sapientiae decus adipisci.

Non diu quaerendum, quantum Juri Canonico addiscendo legum Civilium notitia conducat, si quisquam animo reputet, humanae politiae regulas institutionibus Juris illius, quod ad mores adtinet rite formandos, atque omnium Antiquorum Ethicam perfecit, apprime consonare, neque vinculum hoc, non hominum opinione, sed ab ipso verae Religionis optimaeque politiae auctore constrictum posse effringi; quin animorum ordo, consensusque ad societatem inter homines servandam, & ad publicae felicitatis fundamenta stabilienda necessarius immutari videatur. Etenim ille justitiae amor, & honestas ipsa naturae, quam e mentibus mirifice exsculpsit Christiana religio, homines divinae legi obsequentes, ac beatitudinem in Deo ipso, & aeterna aequi bonique perfunctione condentes ad usum Civilis commercii deducit: Qui vero nimio sui ipsius amori indulgentes, detrectant, sanctioribus politiae decretis in officio continentur, metuque poenarum coercentur; quum & apex ille humanae sapientiae Plato amorem sui ipsius fontem adpellet omnium malorum, radicemque cupiditatum universarum, quibus omnis societatis, ac bene tranquilleque vivendi ratio interturbatur. Hinc tantum politiae cum Religione consensum facile est demonstrare, hinc tantam sacrarum legum cum Romano potissimum Jure conjunctionem adsequi licet. Et cui nam potest esse dubium Juris Pontificii sanctiones cum eo Jure coaluisse, quod id habet

pre-

praecipuum, ut ferme totum sit arte mira, certaque ratione deductum ab honestate naturali, cujus apud Graecos Philosophi, apud Romanos Jurisconsulti vindices fuerunt atque cultores? Nunquid alii sunt Juris fontes, unde plura tuendae societatis praecepta, unde certiora, unde magis probata parari possint, quam Juris Civilis, quod Romanorum legibus continetur? Nisi forte recti pravique discrimine ab eo Populo petendum inficias ibimus, qui, ut viri oppido eruditi verbis utar, ceteris mortalibus sapientia & virtute praestitit, idque adsequutus est, ut omnium longe potentissimus multis regionibus, multisque saeculis leges sciisceret: ab eo, inquam, Populo, cui Deus par imperio ingenium dedit, ut aliorum nationum leges primum excerperet, suas deinde plane innumeras ipse statueret ac juberet, tum velut justitiae imaginem inde duceret, quae publicis impressa tabulis non Romae solum, sed ubique placere posset ad barbariem tollendam, omnesque omnium populorum voluntates uno vinculo consociandas. Quamobrem in judiciis Ecclesiasticis, negotiisque expediendis usa est olim Ecclesia legibus Imperatorum, teste Vitae Tarasii auctore, qui hunc Constantinopolitanae Dioeceseos Antistitem adfirmat, cum Civilis & Canonici Juris esset peritissimus, utramque eam scientiam ad Catholicorum lites componendas adcommodasse. Quod Lucii hujus nominis tertii auctoritate confirmatur, qui Palivinum Episcopum monuit, ut caussas ex legum Canonumque decretis definiret. Immo dum more ac stylo forensi secundum legum Civilium praescripta caussae in Ecclesia institui ac definiri coeperunt, invaluere simul in Ecclesiastico foro, administrorum fori Civilis munia & leges; unde si quis eorum naturam in illo noscere velit, eam notitiam ex jure Civili haurire debebit. Quum ergo tanto in honore apud supremos Ecclesiae Principes Leges Civiles haberentur, factum est, ut Gratianus Imperatorum Constitutiones cum Pontificum & Conciliorum statutis compegerit, quemadmodum saeculo superiore idem praestiterat Ivo Carnotensis omnium primus, qui

qui in Ecclesia occidentali nonnulla ex Jure Civili transcripta in suam retulit Canonum Collectionem, exemplum Joannis Scholastici & Photii Constantinopolitanorum Patriarcharum sequutus. Emersis vero, Lotharii temporibus, post diuturnam noctem legibus Romanis, adeo sacrae cum illis coaluere, ut Decretalium, quos vocant, libri, exceptis iis, quae sunt Divini tantum Juris, nihil propemodum aliud videantur, quam germinatio Juris Civilis, quod in utroque Jure consultissimi Viri Alexander & Innocentius Tertii, Gregorius Nonus, aliique in sua juventute e Bononiensi hauserant Schola, quae tum maxime celebrabatur; illudque ob eam, qua pollebant, inter homines Deo proximam potestatem mortalibus praebuerunt, aut respondentes Episcopis Romana Oracula petentibus, aut controversias caussasque definientes, aut Constitutiones Ecclesiasticas pro re nata condentes. Nimirum intelligebant sapientissimi illi Juris Conditores, Romanas leges a recta ratione expromtas, magnoque Dei immortalis beneficio populo terrarum Principi patefactas, ut inde succus sanguisque existeret, qui ad alios mores opportuna derivatione ductus, cujusque gentis instituta ad bonum, honestumque conformaret, maximopere Pontificiae Jurisprudentiae, quae norma legum esset ceterarum, condendae exornandaeque convenire. Igitur fatendum erit omnino, Juris Canonici disciplinam, quam ex Jure Civili magna ex parte fluxisse jam vidimus, ab ipsomet Jure aegre posse divelli, nec quemquam hujus interpretem idoneum evasurum, nisi is fuerit Juris Civilis peritissimus, ut optime admonet Cujacius eruditione legum omnium facile Princeps, qui, teste Scaligero, Jurisprudentiam, per suam ipsius vim, explicavit. Quae tanta viri post hominum memoriam Juris scientia praestantissimi auctoritas, quum omnes cogat adsurgere, & redivivae Jurisprudentiae parentem venerari, quid pluribus utar argumentis, ut hanc legum Romanarum necessitatem ad Juris Canonici notitiam perfecte acquirendam, vobis persuadeam? Superest jam, ut eo animum

mum intendatis, quo pars altera Orationis vos compellat, dum probare adgredior, quonam pacto Ecclesiasticae historiae & antiquitatis cognitio Canonum rationes pandat, ac nubes dispellat absurdarum opinionum, quibus barbarae aetatis interpretes in veteri Ecclesia plane hospites, & peregrini Christianas morum leges studiosae Juventuti, ac juslitiae lucem, quae illis inest, penitus intercipiunt. Profecto quaenam est ars, quaenam facultas, cui tantopere scientia temporum, atque Ecclesiasticae antiquitatis notitia conferre videatur, quam Juris Canonici studium? quod maxime sacrosanctis Pontificum legibus, sententiisque a Latinis, Graecisque Patribus in solemnibus Conventibus explicatis, aut seorsim traditis constat, quibus recte intelligendis tum veterem, tum mediam, tum novam Ecclesiae disciplinam ob oculos habere oportet, ac delibare primas rerum caussas & exordia, & quae ob negotiorum vel temporum varietatem sunt immutata, vel quae firma semper & immota perstitere. Horum omnium scientia quam necessaria sit, exemplo satis suo palam fecit inclytum illud Parisiensis Academiae decus & ornamentum Franciscus Florens, qui celeberrimis iis, quae in varios legum sacrarum titulos adornavit, commentariis, earum sensus ex historiis & antiquitate detexit, ut cuivis innotescat verum Canonum sensum ex antiquorum collectionibus & historiis esse desumendum. An ille mihi tam utile Gratiani opus comprehenderit, qui veterum Canonum collectiones, quibus fere totum conflatum est, non habeat undequaque exploratas, ac historiae luce, artisque criticae praesidio, quo nititur uno historiae natura de sensu, deque aetate scribentium judicare, ac quaenam genuina scripta sint, quae spuria non possit scite dignoscere? Neminem ignorare opinor, quam multa Gratianus in suam retulerit Canonum Collectionem ex vetustissimo Ecclesiae universae codice prius ad usum Orientalis Ecclesiae producto, quem postea Dionysius cognomento Exiguus in latinam a se linguam translatum ad Occidentalem detulit, eique adiiciens aliorum Concilio-

rum

rum Canones, qui ad sua tempora prodiere, primusque illis Romanorum Pontificum longo ab se studio coactas Epistolas inferens, uberrimum Ecclesiasticae Doctrinae promtuarium condidit Ecclesiae Romanae, ex qua ad inferiores omnes Ecclesias ejus Codicis doctrina diffunderetur. Quid ea commemorem, quae ex Isidori, qui apud indoctos Hispalensis personam falso tulit, collectione in Gratiani Codicem dimanarunt? Nec vero heic dicam quantum Reginoni, ac Burchardo adhaeserit Gratianus, omittam quantum Ivonis sit fidem sequutus, ac pleraque ex eo sumserit, eodem quidem ordine, ut si quis Gratiani sententias adtendere velit, earum fontes apud Ivonem requirendos esse non dubitabit. At merum! quot nobis Gratianus obtruderit commentitios Canones, nominaque falsa pro veris plurima subjecerit, ipsum praeterea temporum confuderit ordinem; quam turpiter ille aliquando in Critice parum versatus erraverit. Maxima quippe ea tempestate totum pene terrarum Orbem obruerat inscitiae caligo, ac vix scintilla quaedam purioris sapientiae, & intermortuum liberalissimarum artium lumen supererat; nec in tanta reipublicae litterariae calamitate rem ipsam perpendere licebat, & germana sanctioris disciplinae monimenta tenebris damnata sempiternis ab oblivione & interitu vindicare. Accedit quod quum ea aetate nondum typis mandandi ars esset inventa, amanuensium oscitantia, aut nonnumquam audacia plurima saepe corrumpebantur, atque ita quicquid vel incuria, aut etiam interdum ex proposito erratum fuerat, non sua, sed saeculi culpa *Gratianus*, nullo habito delectu, nec ipsa Concilia, nec Pontificum, *aliorum*que Patrum scripta revolvens, in suum Codicem invexit. Atque utinam post renatas litteras hic tantus ceteroquin vir omnes industriae nervos intendisset in sua Canonum collectione elucubranda! Praeclare nobiscum, praeclare cum eo ageretur in cognitione munerum sacrorum, in decerpendis omnium Patrum utilioribus floribus ad publicam & privatam animorum emendationem. Non illud perincommode caderet, si

ejus

ejus scriptis omnino fidem adhiberemus, neque magnopere cavendum esset, ne studiosos in errorem induceret Ancyranae Synodi decreta citando, vel Nicaenorum, ac Laodicaenorum Canonum numerum augendo, vel a vero eorumdem sensu aberrando, Martini & Burchardi potissimum occasione, qui supposititia illa Isidori monimenta, omniaque Reginonia errata in suam transtulit collectionem, plurimaque addidit propria, Reginonis saepennmero mentem non adsequutus. Temporum tamen scientiam callentibus, & quos habuit unumquodque seculum eventus, loquendi modos, & opiniones, nequaquam imposuere Latini, Graecique veteres, & sequioris aevi Collectores. Immo vero immanem eorum fraudem detexere, ac in primis Baluzius vir magnis in rem litterariam meritis, licet ejus ingenium non raro a recta via deflectens se palam prodat; fucumque Isidorianum primi nonnihil odorari coeperunt clarissimi Romanae Ecclesiae Proceres Nicolaus a Cusa, & Joannes a Turrecremata; remque postmodum absolvit, perfecitque tum sacrae, tum Civilis Jurisprudentiae Antistes Maximus Antonius Augustinus Musarum lacte in Italia nutritus, qui in Notis ad Hadriani, ut ajunt, Primi collectionem, quamplurima in Isidorianis Epistolis, Canonumque sententiis vellicavit, quae illarum suppositionem manifesto deregerent. Quum enim Viri longe doctissimi, ubi bonarum litterarum, Criticesque praesertim Παλιγγενεσία mentium tenebras illustravit, animadverterent, epistolas illas, si paucae excipiantur, quae apud suppares scriptores recensentur, ab Isidoro priorum trium saeculorum Pontificibus ante Siricium tributas, falsis Consulatuum notis esse consignatas; easque innumeras variasque voces ac sententias continere auctorum aetate posteriores, priscis illis Pontificibus abjudicantes, ipsas exeunte fere octavo Ecclesiae saeculo consarcinatas probabilius tradiderunt. Quod quum inficeti quidam ac rudes Canonum interpretes neglexissent; vera falsis immiscuerunt, & infirmitate judicii, aut quod veri satis amantes non essent, recentia pro veteribus impe-

peritis venditarunt. Praeterquamquod quis unquam credat tot Epistolas a Sanctissimis atque Apostolicis Viris conscriptas, Eusebio, Hieronymo, aliisque Scriptoribus Ecclesiasticis adeo ignotas fuisse, ut nec vel unius quidem apud ipsos vestigium extet? quum tamen Eusebius eorum, qui ante ipsos floruerant, scripta diligenter in historia Ecclesiastica recenseat; Hieronymusque eorum catalogo, data opera, scripta Eusebio recentiora addiderit, quorum plane diligentiam, quum hanc rem maxime egerint, ut libros omnes veterum recenserent, vix insignioris scriptoris liber ullus fugere potuit. Sed nolo diutius in hac parte versari, nec omnia, quae de reliquis Isidori erratis dici possunt, attingam; quis enim esset dicendi modus? Duo sub Silvestro Romana Concilia, quae Isidori auctoritate nituntur, si quantum a Silvestri tempore abhorreant, quantum Ecclesiasticae disciplinae adversentur, quantum a sinceris vetustatis monimentis secernere Canonum studiosis incumbat, exponere instituam, nunquam exitum reperiet Oratio. Quae quum infirmari nullius eloquentia possint, fidenter oportere fatebor, ut qui historian & Ecclesiasticae antiquitati non litarunt, genuinam Canonum scientiam non adsequantur, ac multa fingant a legis mente prorsus aliena. Quinimmo & Gregorii IX. Bonifacii VIII. & Clementis V. Collectionibus adhibendis antiquas quandoque consulere, supervacaneum non est existimandum. Quamquam non heic de Gratiani Decreta, quod utpote privata auctoritate confectum tantam vim habet, quantam, quae Gratianus refert, ex se ipsa habere noscuntur, nec de quinque aliis decretalium collectionibus agatur, quae horum Pontificum opus praecesserant, & quarum nonnullae a privatis auctoribus concinnatae fuerunt, sed res sit de iis, quas laudati Pontifices adornari jusserunt, quasque Pontificia auctoritate comprobarunt, mandantes, ut eae solum deinceps ab universis in judiciis & in scholis usurparentur, Verum quum Raymundus ceterique, quibus id fuerat demandatum, aliquas & paucas ex Epistolis Decretalibus, &

Con-

Constitutionibus in totum reservaverint, aliquas mutaverint quoad verba, mente servata, in aliquibus tandem menti & verbis detraxerint, & addiderint; altius identidem ab ipsis fontibus doctrinam repetere necesse est, & integram Epistolam inspicere, ubi in aliquam, quae mutilata deprehenditur, incurratur, ut ea, quae integra non est, perfectius intelligatur, ut eruditissimi Antonius Augustinus, & Innocentius Cironius praeclare animadvertunt; non secus ac ea, quae e veterum Jurisconsultorum sententiis, aut Imperatorum placitis, in Pandectis & Justinianeo Codice relata sunt; etsi legis vigorem sortiuntur, ob obscuritatem & ambiguitatem, quae in illis frequenter occurrit, primigeniarum lectionum ope facile enucleantur. Quod minime ferendum esset, ubi perspicua est illa ac dilucida, quae aliquo modo mutilata fuit, & si quid huic deesse noscitur, id eo jubente detractum fuit, qui suprema pollebat auctoritate, eaque de caussa, ut disciplina, quam ipse Legislator servari voluit, in tuto poneretur, neque turbari illam & nutare contingeret, si tota Decretalis novae collectioni inserta fuisset. Possem praeterea & exemplis eorum, qui postremis collectionibus satis contenti, veteres legum sacrarum Codices neglexerunt, vobis ostendere, quantopere se torqueant, ut crebras de proprietate verborum, de primaevis significationibus, ac vetustis ritibus, ac genuino Canonum sensu agitatas quaestiones definiant; quae omnia pristinae Ecclesiae disciplinae callentissimi interpretes habent cognita & pertractata. Sed quid longius evagari opus est? O praeclaram hanc, Juvenes, o hanc regiam directam, & apertam viam Juris Pontificii scientiae comparandae! O vos de Ecclesiasticae Jurisprudentiae studiis, de Seminario, de Dioecesi ipsa optime meritos, si viam hanc insisteritis, si nempe posteaquam excellenti eruditione doctrinaque praeditum Praeceptorem vestrum quamdiligentissime audiveritis, totos vos melioris notae Interpretibus, quos vobis modo describebam, consulendis commentandisque omnino dederitis, ac partam in Scholis scientiam,

tiam, domi excolendo, meditandoque alueritis. Macti itaque animis; hos intueri, horum praeceptis insistere, horum exemplar absolutissimum ac pulcherrimum imitari vos adhortor, opinionesque imperitorum contemnere, quin & oblcitantiam incolare; quae si malo studiosorum fato invaluerit, actum de germana Canonum scientia, actum de Sanctissimis morum legibus, actum de Ecclesiae disciplina universa. Id ratio fateri cogit, id auctoritas testatur eruditorum hominum, qui utramque Jurisprudentiam Civilem & sacram cum antiquitatis studio conjunxere, id monet saeculum praestantium ingeniorum ferax, quod optima dumtaxat probat, ac selectiora studia constantissime tuetur.

